



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117778**

§. 9. S. Hilarionis initia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](#)

Sæculum IV. bus terræ mandavit. Sæpe Pacomius  
A. C. 313. super serpentes, & scorpiones ambulabat,  
nec illi nocebant. Sæpe fluvium supera-  
turus, crocodilis dorsum subjacentibus,  
ferebatur. Talis erat tunc temporis Mo-  
nachorum vita in Ægypto, ubi plura Mo-  
nasteria in desertis variis fuerant ex-  
structa.

## §. IX.

*S. Hilarionis initia.*

*Hier. vita Hilar.* In alia orbis parte, nempe in Palæstina,  
in hoc vitæ genere clarescebat S. Hi-  
larion, in quodam oppido nomine Tabaa-  
the natus, quinque milliariis ab urbe Ga-  
za ad Orientem distante. Parentes ejus  
Idololatræ puerulum Alexandriam mise-  
runt, ut Grammaticæ operam daret;  
multum tam in litteris, quam in virtute  
profecit, & credens in JESUM Christum,  
relictis profanis spectaculis, Ecclesiæ con-  
ventus frequentabat. Cum ad ejus au-  
res pervenisset S. Antonii fama, cujus  
nomen in Ægypto celebrabatur, ad eum  
in desertum profectus est, &, statim ve-  
stitu mutato, ferme duos menses apud  
eum mansit, eandem vitæ rationem ser-  
vans, nempe in oratione assiduitatem, in  
excipiendis fratribus humilitatem, in re-  
prehendendo severitatem, in exhortan-  
do vigorem, in rigore perseverantiam.  
Sed multitudinem eorum, qui, ut sana-  
rentur,

rentur, aut liberarentur a dæmonibus, Sæculum IV.  
 confluabant, non ferens, sibique S. Anto- A. C. 313.  
 nii exemplo in principio conversionis ne-  
 cessariam solitudinem judicans, cum qui-  
 busdam Monachis in Patriam rediit; ubi  
 Parentibus jam defunctis, bonorum par-  
 tem fratribus, alteram pauperibus distri-  
 buit, sibi omnino nihil reservans. Tunc  
 plures, quam quindecim annos non nu-  
 merabat, atque agebatur annus Christi  
 307. Desertum septem Milliariis Maju-  
 ma distans in habitationem sibi elegit;  
 monuerant quidem propinqui, & amici  
 locum istum rapinis, & latrociniis esse in-  
 famem, ipse autem nullam nisi æternam  
 mortem timebat. Omnibus tanta ani-  
 mi fortitudo in juvenilibus annis, & cor-  
 pore delicato admirationem inovebat.  
 Primis secessus diebus prædones, eum in- S. Hilarion.  
 venientes, interrogabant, quid facturus  
 esset, si advenissent latrones; ipse respon-  
 dit: *nihil habenti, nihil auferent, hinc*  
*non timeo;* dixerunt: *at vitam tibi pos-*  
*funt adimere;* verum hoc quidem, ait:  
*sed vel ideo latrones non timeo, quia mori*  
*paratus sum.* In hac eremo multas Dæ-  
 monum tentationes tulit, & post annos  
 viginti duos, id est, vitæ suæ trigesimo  
 septimo, circa annum Christi 329. mira-  
 culis innotescere cœpit.

Sacco indutus erat, & tunica hirsuta,  
 quam a S. Antonio acceperat, humeros  
 pallio-

Sæculum IV. palliolum tegebat, quale ruriculæ gestabant. A. C. 313. A vastissima eremo, inter mare, & palustria sita, non discessit, sed prædonum metu sæpius habitaculum mutabat; postquam sol occidisset quindecim sicubus reficiebatur. Si vero voluptate tentaretur, minuebat hanc refectionem; non nunquam tres, aut quatuor dies omni alimento abstinebat. Præter juncinos calathos, quos ad imitationem Monachorum Ægyptiorum conficiebat, ut panem lucraretur, etiam terram arabat. Hoc vitæ rigore ita corpus attenuavit, ut præter pellem, & ossa, vix alia parte constaret. Matta ex juncis contexta, in terram strata pro lecto, & angustissima cella sepulchro, quam hominis viventis domui similior erat. Capillos non nisi tempore Paschali radebat; saccum non lavabat, dicens, superfluum esse nitorem in cilicio querere; nec deponebat tunicam, nisi usu penitus detritam. Diversam annis diversis sumpsit refectionem, at ultra annos triginta, unciis sex panis hordeacei, cum oleribus aliquantulum igne decoctis nutritus est, post comedionem potum sumebat, ex farina & contusis oleribus mixtum quinque unciarum pondus non excedentem. In hac pœnitentia vixit octoginta annos, & circa annum 372. beato fine decessit.

§. X.